

Resp. dist. Major.; in concreto, *neg.*; in abstracto, *conc.* Tum *contradist.* Minore, *neg.* conseq. Nam substantia in concreto importat in iudiciis totum suppositum, prout re existit cum sua natura et accidentibus; prædicatum autem v. g. *albus, doctus* etc., idem sonat, ac *habens albedinem* doctrinam, etc. Quamvis ergo albedo et doctrina sint accidentia realiter distincta ab hominis substantia, nihil mirum, si in concreto prædicari de eodem possint (1).

Objic. 7.^o Si darentur accidentia realiter a substantia distincta, possent aut ipsa separata a substantia existere, aut etiam substantia omni accidente privari. Atqui utrumque repugnat. Ergo dicendum est accidentia sola ratione distinctui a substantia.

Resp. Majorem non esse necessario veram. Quia licet ex duorum separabilitate certo arguatur realis eorumdem distinctio, at e converso ex reali distinctione non necessario inferitur separabilitas; id quod evidenter patet in personis divinis, quæ licet re distinguantur, invicem tamen separari nequeunt. Cæterum quod substantia omni accidente, etiam proprio privetur, licet naturaliter non videatur possibile, at forte possibile est per divinam potentiam, ut graves Doctores concedunt, et mox dicemus.

Objic. 8.^o Nihil reale potest advenire post *esse* rei completum. Atqui accidens fingitur accedere post *esse* rei completum. Ergo...

Resp. dist. Major.; post *esse* rei omnimodis completum, *conc.*; solum specificè completum, *subdist.*; nihil reale substantiale potest advenire, *conc.*; accidentale, *neg.* Et *contradist.* Minore, *neg.* conseq.

ARTICULUS III.

Utrum manifeste repugnet accidentia separata manere a proprio subjecto.

316. Questio hæc in idem recidit, ac illa alia: *Utrum inhæsiō actualis, an vero sola aptitudinalis, sit de accidentium*

(1) Vide S. Thom., 1 p., quæst. 85, art. 5 ad 3.^{um}

Status
questionis.

essentia. Nam supposita reali, quam demonstravimus, distinctione, manifesta repugnancia separabilitatis ex generali accidentium conceptu videtur non aliunde peti posse, quam ex eo quod essenziale sit ipsis actu inherere subjecto: si enim id verum foret, contra essentialitatem accidentium esset, ut separata manerent a proprio subjecto. Dubium vero non est de accidentibus extrinsecis, ut patet, quia hæc non informant subjectum quod denominant, atque adeo possunt extra illud existere. Exemplum habes in veste v. g. et in loco circumstanti corpus, quæ remoto etiam corpore illo, quod denominant vestitum et locatum, eodem modo durare possunt in sua existentia (1). Notandum est deinde inhærentiam vel inhæsiōnem accidentis esse ejusdem cum subjecto unionem: ac duplex distinguitur, altera aptitudinalis, actualis altera. Aptitudinalis est exigentia inherendi, actualis vero est ipse actus inherendi vel informandi. Et communissima est Philosophorum sententia, inhærentiam saltem aptitudinalem esse de ratione accidentis, utpote quod est *ens in alio*. Communiter etiam tenent accidentia pure modalia essentialiter includere non solum aptitudinalem, sed etiam actualem inhærentiam vel conjunctionem cum re, cujus sunt modi. Sunt enim essentialiter determinationes vel affectiones actuales subjecti, ut patet ex dictis circa naturam modi. Ac proinde certum est apud omnes repugnare manifeste, ut accidentia modalia extra subjectum existant.

Controversia ergo tota est de accidentibus absolutis. Circa quæ etiam conveniunt communiter auctores in asserendo accidentia ita inhærentiam actualem requirere, ut præciso Dei miraculo, non possint extra subjectum manere; fere sicut ignis, quia naturalis ejus exigentia est comburere, ubicumque adsint omnia ad comburendum necessaria requisita, solo divino miraculo cohiberi potest, ne actu comburat. At disputatur, utrum ipsa actualis inhæsiō vel inhærentia sit ita essentialis accidentibus, ut ne per omnipotentiam quidem Dei, miraculum patrans, possit accidens separatam a subjecto manere. Affirmarunt Gentiles Philosophi, qui cum ignorant mysterium Eucharistiæ, ne suspicari quidem potuerunt,

Inhærentia
aptitudinalis
et actualis.

Sententia
gentilium

(1) Cfr. Suar., disp. *Metaph.* 37, sect. 2, n. 8.

num posset accidens extra subjectum existere. Quamobrem ita declaravit Aristoteles rationem accidentis: *Id in subjecto esse dico, quod in alio quidem est, et non uti pars; ut sit autem seorsim ab eo in quo est, fieri nequit* (1). Cartesiani etiam, quamvis non penitus cohaereant in hac sententia cum paganis Philosophis, quia negant, ut vidimus, realia accidentia a substantiis distincta; nihilominus ad probandam suam doctrinam iis quandoque utuntur argumentis, quibus separabilitas accidentium impugnatur. Sententia vero communis Scholasticorum tenet, accidentibus absolutis, iis videlicet quae propriam habent entitatem a substantia realiter distinctam, essentialem esse, non ipsam actualem inhærentiam, sed aptitudinalem; et consequenter, saltem spectata generali conditione horum accidentium (2), non manifeste repugnare, ut separata a suis subjectis conservari a Deo possint in esse. Quam sententiam nos quoque libentissimo animo propugnatum volumus.

317. PROPOSITIO. Spectata generali ratione accidentium ostendi nequit repugnare, ut ea a substantia separata per divinam virtutem existere possint.

Declaratur propositio. Dicitur in primis *spectata generali ratione accidentium*, quia nostrum non est nunc definire utrum et in quibusnam accidentibus absolutis vigeat peculiaris aliqua ratio repugnantiae: et solum id asserimus, si quod accidens existere nequeat extra suum subjectum, rationem repugnantiae non esse derivandam praecise ex eo quod accidens sit, sed aliunde. Unde si quis inductione accidentium facta probare singillatim conaretur ea non posse a substantia separari, perstandum nobis hic constanter foret in hac defensionis ratione, videlicet negando repugnantiam huiusmodi procedere ex communi ratione accidentis. Deinde dicitur *ostendi non*

(1) Arist. de Praedicam., cap. 2.

(2) Dicitur saltem *spectata generali conditione accidentium*, quia forte pro aliquo potest esse specialis aliqua ratio repugnantiae, ut multi putant de actibus immanentibus, qui quamvis absoluta entia esse fateantur, negant tamen separari posse propter eorum immanentiam. Verum de his alibi.

posse repugnantiam, quia cum nondum cognoscamus naturam singulorum accidentium, sed solum perspectam habeamus rationem eorundem generalem, non possumus positive asserere possibilitatem accidentium separatorum: sola enim generalis ratio accidentis potius obstare possibilitati videtur, quam favere. Tertio additur per *divinam virtutem*, quia est apud omnes in confesso, etiamsi sola inhæsiō aptitudinalis foret de essentia accidentium, existentiam tamen eorum sine actuali unione solum per miraculum divinae virtutis locum habere posse. Si vero actualis inhæsiō foret essentialis accidentibus, repugnaret prorsus ea separata existere, etiam per divinam virtutem, quia virtus divina terminari nequit ad intrinsece repugnantiam.

Probatur propositio. Si quae ostendi posset repugnantia in accidentibus separatis, ea repeteretur ex aliquo trium horum capitum: α) ex identitate accidentis cum substantia; β) ex necessitate influxus, quo accidens eget sustentari a substantia; γ) ex inhærentia, quae ad rationem accidentis pertinet. Non enim occurrit aliud caput, unde separatio possit pugnare cum generali accidentis conditione. Atqui nihil horum obstare videtur, quominus accidentia separata possint existere. Ergo stat propositio.

Minor probanda est per partes. Non obstat α) identitas accidentis cum substantia; nam ostendimus in praecedenti articulo realem horum distinctionem. Non β) influxus, quo subjectum tenet ac sustentat accidentia; quia qualicumque sit huiusmodi influxus, potest illum procul dubio supplere divina virtus, sin minus in eodem genere causalitatis materialis, quod profecto repugnaret, saltem in genere causae efficientis. *Nec est impossibile*, inquit Angelicus, *quod accidens virtute divina subsistere possit sine subjecto. Idem enim est iudicandum de productione rerum et de conservatione in esse. Divina autem virtus potest producere effectus quarumcumque causarum secundarum sine ipsis causis secundis, sicut potuit formare hominem sine semine, et sanare febrim sine operatione naturae: quod accidit propter infinitatem virtutis ejus, et quia omnibus causis secundis largitur virtutem agendi. Unde et effectus causarum secundarum conservare potest in esse sine causis secundis. Et hoc modo in Sacramento (Eucharistiae) accidens conservat in*

esse, sublata substantia, quæ ipsum conservabat (1). Non denique ꝑ̄ obstat inhærentia, quæ propria conditio est accidentis; nam ad salvandam naturam definitionemque accidentis, sufficit inhærentia aptitudinalis, seu exigentia inhærendi subjecto. Per hoc enim solum jam perfecte discriminatur accidens a suo opposito substantia, utpote quæ est ens per se, seu ens cujus quidditati debetur esse non in alio tamquam subjecto, ut superius vidimus. Ergo si accidens intelligatur esse e converso ens in alio, seu ens cujus quidditati, debetur esse in subjecto, sive actu sit in eo, sive non, jam habetur genus entis, quod substantia esse nequit, atque adeo accidens crit. Itaque essentia accidentis, salvatur per inhæSIONEM aptitudinalem.

Dices: Non solum salvanda est essentia rei, sed etiam modus consentaneus et connaturalis ejusdem. Atqui modus connaturalis et conformis essendi accidentibus est actu inhærerere, siquidem id *exigit* natura vel essentia illorum. Ergo accidens nequit non actu inhærerere.

Resp. *dist.* Major.; naturaliter loquendo, *conc.*; absolute et spectata etiam virtute divina, *neg.* Absurdum enim foret omnipotenti Deo denegare virtutem agendi præter vel etiam contra naturales exigentias rerum, etiam manentibus essentiis; aliud enim est essentia rei, et aliud satisfactio exigentiæ naturalis; sicut aliud est natura ignis et aliud actualis combustio, quam natura ejus postulat, ubicumque adsunt omnia requisita ad comburendum. Ergo etiam manente rei essentia, non repugnat intrinsece, quin ejus naturalis exigentia impediatur, quæ proinde poterit a Deo per miraculum impediri. Verum hæc magis patefient, ubi sermo erit de miraculis. Apposite S. Thomas: *Inesse non dicit esse accidentis absolute, sed magis modum essendi, qui sibi competit ex ordine ad causam proximam sui esse. Et quia remoto ordine accidentis ad causam proximam, adhuc potest remanere ordo ipsius ad causam primam, secundum quem modus essendi non est inesse, sed ab alio esse, ideo potest Deus facere, quod sit accidens, et*

(1) S. Thom., 4.^a *Contr. Gent.*, cap. 65 init. Cfr. 3 p., quæst. 77, art. 1; 4.^a *dist.* 12, quæst. 1, art. 1, solut.; *Opusc. Contr. Græcos, Armenos et Saracenos*, cap. 8.

non insit, nec tamen esse accidentis ab accidente removebitur, sed modus essendi (1).

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

318. *Objic. 1.^o* Repugnat accidens manens in sua natura fieri substantiam. Atqui accidens non actu inhærens, sed extra substantiam, manens, fieret substantia. Nam eo ipso quod extra substantiam ponatur existens, foret ens non in alio, atque adeo ens per se stans.

Resp. *conc.* Major. *neg.* Minor.

Ad hujus probationem. *dist.* primum membrum; foret ens non in alio actualiter, id est, actu non unitum, *conc.*; ens non in alio aptitudinaliter, seu ens cujus quidditati deberetur non esse in alio, *neg.*; nam dum ita separatim conservaretur, semper exigeret, quantum est de se, inhærerere actu suo subjecto.

Alterum membrum probationis *neg.*; quia accidens separatim per se non staret, sed a Deo solo sustentaretur in esse (2). Itaque definitio vel quasi definitio substantiæ est res habens quidditatem, cui acquiritur esse vel debetur, et non in alio; et similiter esse in subjecto non est definitio accidentis, sed e contrario res, cui debetur esse in alio. Et hoc nunquam separatur ab aliquo accidente, nec separari potest; quia illi rei, quæ est accidens, secundum rationem suæ quidditatis semper debetur esse in alio. Sed potest esse quod illud, quod debetur alicui secundum rationem suæ quidditatis, ex virtute divina agente non conveniat; et sic patet quod facere accidens esse sine substantia, non est separare definitum a definito. Et si aliquando hoc dicatur definitio accidentis, prædicto modo intelligenda est (3).

Instabis 1.^o Repugnat Deum sustentare accidentia in esse.—Respond. *dist.*; in genere causæ materialis, quasi ipsa natura divina foret subjectum accidentis separati, *conc.*; in genere causæ efficientis, *neg.* Nam sicut non repugnat Deum cum causis secundis concurrere efficienter ad productionem accidentium, ita potest solus illa producere, atque adeo conservare in esse.

(1) S. Thom., 4.^a *dist.* 12, quæst. 1, art. 1, solut. 1, ad 1.^{um}

(2) Cfr. S. Thom., 3 p., quæst. 77, art. 1 ad 2.^{um}

(3) S. Thom., 4.^a *dist.* 12, quæst. 1, art. 1, solut. 1 ad 2.^{um}

Inst. 2.^o Si Deus produceret accidens sine causæ materialis consortio, crearet. Atqui repugnat accidenti creari, creatio quippe solum terminari potest ad ens subsistens. Ergo nequit Deus sine causæ materialis seu subjecti concursu producere accidens, atque adeo nec conservare in *esse*.

Resp. conc. Major, Minor. *dist.*; naturaliter, vel servato cursu naturali rerum, *conc.*; supernaturaliter et interveniente miraculo, *neg.* Tum *neg.* conseq.

Objic. 2.^o Accidens individuatur ex subjecto. Si ergo accidens foret separatum, desineret esse individuum, ac fieret universale (1).

Resp. trans. antec., neg. conseq. Jam superius vidimus diversas circa individuationem accidentium sententias. Multi negant ea individuari per subjecta, et tunc nulla est hac in re difficultas. Verum hæc, supposita etiam contraria sententia, nullo negotio solvitur; quia nihil vetat accidens separatum retinere ordinem ad certum subjectum, per quod individuationem suam acceptit. Sicut secundum eandem sententiam anima rationalis eandem individuationem retinet, quia nunquam amittit ordinem ad determinatam materiam.

Objic. 3.^o Nihil inordinatum aut fallax potest Deus facere. Atqui si accidentia separata in *esse* Deus conservaret, aliquid inordinatum faceret, nempe contra ordinem, quem naturæ accidentis ipsemet indiderat; itemque aliquid fallax, quia cum accidentia sint naturalia signa substantiæ, si separata manerent illa, in errorem invincibilem induceremur, existimantes sub talibus accidentibus propriam latere substantiam (2).

Resp. dist. Major. Nihil inordinatum relate ad ordinem universalem, itemque nihil invincibiliter fallax, *conc.*; nihil inordinatum contra particularem ordinem alicujus naturæ, nihilque non omnino invincibiliter fallax, *neg.*; vel *subdist.* si nulla adsit causa digna, *trans.*; si adsit, *neg.*

Et *contradist.* Minor., *neg.* conseq.

Præter ordines particulares singulorum entium relate ad causas et effectus suos ac naturales vires et exigentias, adest

(1) Apud S. Thom., 3 p., quæst. 77, art. 1, arg. 3.^o

(2) Cfr. apud S. Thom., 3 p., quæst. 77, art. 1, arg. 1.^o

universalissimus ordo, secundum quem omnia entia subjecta sunt causæ primæ, Deo, ut faciat de illis quidquid pro suo beneplacito decreverit ad gloriam suam. Unde quod est inordinatum relate ad ordinem particularem, potest esse non inordinatum, sed ordinatissimum, relate ad ordinem universalem (1). Deinde accidentia, supposita veritate propositionis, sunt signa non metaphysice, sed physice dumtaxat ac naturaliter, connexa cum præsentia substantiæ. Quare si quis videns accidentia, persuasum haberet absolute fieri non posse, etiam per miraculum, ut absit ibi propria substantia, seipsum deciperet ac vincibiliter erraret, quia supposita absoluta possibilitate vel saltem non manifesta repugnantia accidentium separatorum, præsentia accidentis alicujus physici solum physica certitudine arguit in casibus particularibus substantiæ præsentiam. Vel si adhuc pro aliquibus error foret invincibilis, id esset per accidens, ratione videlicet ignorantæ, quam haberent circa miraculum. Cæterum quia separatio accidentis a substantia non contingit nisi per miraculum, miraculum vero Deus, sicut solet patrare in gloriam suam et ad manifestationem suæ potentiæ ac bonitatis, ita solet quoque patefacere hominibus; re vera non posset dici aliquid operari, quod eos ad errorem per se invincibilem induceret.

Objic. 4.^o Deus nequit facere circulum quadratum. Ergo nec accidens separatum; quia sicut circulus aptitudinem non habet ad hoc, ut sit quadratus, ita nec accidens, ut existat modo non consentaneo suæ naturæ.

Resp. neg. conseq. et paritatem; circulus enim quadratus repugnat, cum et circulus essentialiter pugnet cum quadrato, et vicissim. Accidens vero separatum nequit dici continere quidpiam essentiæ accidentis repugnans, donec probent adversarii, actualem inhæSIONEM esse de illius essentiæ. Ratio etiam objecta iterum nihil probat, quia accidens, cum non sit de ejus essentiæ inhæSIO actualis, sed sola ejus exigentia, non quidem naturalem, sed supernaturalem vel potius obedientialem aptitudinem et potentiam habet, ut per divinam virtutem existat modo non consentaneo suæ naturæ.

(1) Cfr. S. Thom., 3 p., quæst. 77, arg. 1 ad 1.^{um}

Objic. 5.^o Non potest ratio definire, quodnam accidens possit esse separatum, quodnam vero non. Ergo frustra instituitur hæc disputatio.

Resp. *trans. antec.*, vel si mavis, *dist.*; a priori et sola ratione duce, *trans.*; a posteriori, et patrato ac patefacto miraculo. *neg.* Tum *neg.* conseq. Utilitas vero hujus quæstionis patebit magis, cum in Cosmologia, supposita Fidei doctrina circa sacramentum Eucharistiæ, probandum erit quantitatem esse accidens realiter distinctum ac separabile a substantia.

Cætera vero, quæ Antonius Le Grand cæterique cartesiani obijciunt, ex hactenus dictis manent explosa.

ARTICULUS IV.

De causis et formali effectu accidentium.

319. Cum quatuor sint genera causarum præcipua, efficiens, finale, materiale ac formale; de tribus prioribus dumtaxat hic est agendum, nam accidens cum sit ipsum forma, causa formali caret (loquimur de accidentibus intrinsece inhærentibus); ac proinde non causa eorum formalis, sed e converso formalis effectus investigandus erit. Causa finalis accidentium est ipsa substantia, quia fiunt re vera propter ipsam, et ut illam afficiant: id quod multo evidentius cernitur in proprietatibus, utpote quæ solum in bonum et ornamentum vel juvamen subjecti natura ipsa institutæ sunt (1).

Deinde quod attinet materiale causam, certum est in primis accidens indigere causa materiali, non quidem ex qua ipsum intrinsece componatur, sed in qua fiat, et a qua sustentetur in *esse*. Primum horum patet, ut alia nunc argumenta omittamus, ex ipso conceptu accidentis; si enim est ens in alio, seu ens indigens subjecto, cui inhæreat, ideoque ejus *esse* dicitur esse *in esse*; planum est accidens causam materiale requirere, nam subjectum sustentans aliud in *esse* re vera est causa materialis (2). Alterum etiam

(1) Cfr. S. Thom., 1.^a p., quæst. 77, art. 7.

(2) Plura dabit Suarez, disp. 14, sect. 1, n. 1 et 2.

patet, quia accidens in sua propria entitate simplex est, nec componitur ex materia et forma, sicut corporea substantia; etenim accidens est forma quædam et actus subjectum informans, ut constat ex ipsis mutationibus, unde venimus in accidentium a substantia distinctorum notitiam (1); forma autem vel actus entitas simplex est, quæ non constat compositione ulteriori ex actu et potentia vel ex forma et materia. Neque enim satis intelligi potest, quomodo aliquid compositum ex materia et forma possit esse actus inhærens subjecto; neque experientia mutationum, quæ nobis existentiam accidentium demonstrat, præbet fundamentum ad fingendam in illis hujusmodi compositionem. Dicendum ergo est accidens postulare causam materiale, non ex qua intrinsece constet ipsius entitas, sicut domus intrinsece componitur ex lapidibus tamquam ex materia, sed in qua fiat et a qua in *esse* sustentetur, quia nempe accidens non potest existere nisi subjecto inhærens, atque adeo dependens ab illo seu fulcitur ab illo, a quo si separetur, illico pereat, necesse est, naturaliter loquendo. Et consequenter etiam neque potest fieri extra subjectum, sed in subjecto et actione recepta in subjecto (2). Idque exprimitur aliis vocibus cum dicitur accidens *educi de potentia materia*, vel fieri actione *eductra*, non vero creari, nam creatio est productio rei ex nihilo sui et subjecti (3).

Deinde certum est subjectum accidentium, saltem primum et fundamentale, esse substantiam, ut per se manifestum est. Nec vero timeas, ne inde consequatur substantiam accidente imperfectionem fore, siquidem actus potentia receptiva perfectior est. Nam licet actus perfectior sit potentia ejusdem generis vel ordinis, at potest potentia perfectior esse actu inferioris ordinis, præsertim si hujusmodi actus totus ordinetur natura sua ad potentiæ perfectionem, tamquam ad finem suum. Utrum autem et quo pacto unum accidens possit esse proximum alterius subjectum, patet ex

(1) Vide Suarez, disp. 16 *Metaph.*, sect. 1, n. 4, seqq.

(2) Vide Suar., disp. 14 *Metaph.*, sect. 1, n. 3, seqq.

(3) Plura de hac re apud Suarez, disp. 16 *Metaph.*, sect. 2; et Rubium, *Physic.*, tract. 2, de *Forma*, quæst. 1, art. 3.

Accidentium
causa finalis,

materialis.

Accidens
non creatur,
sed educitur de
potentia
materia.

superius scriptis (1). Jam si substantia est subjectum et causa materialis accidentis, sequitur etiam hoc illi uniri, nam causalitas propria materiæ ac formæ stat in unione mutuaque communicatione, ex qua resultat unum compositum. Et substantia quidem cum accidente conflatur compositum, quod est unum non per se, sed per accidens, utpote quod coalescit ex componentibus diversorum prædicamentorum (2). Quid autem sit hujusmodi unio alibi disputandum erit. Verum disputari posset hic, utrum substantia possit esse immediata causa materialis accidentium, ita ut immediate uniatur cum illis, an vero egeat entitate aliqua superaddita, qua constituatur capax recipiendi accidens. Quidam enim auctores (3) existimarunt ponendam esse in substantia potentiam quamdam receptivam quantitatis, quæ reducat ad prædicamentum quantitatis, et aliam receptivam qualitatis, quæ similiter ad qualitatis prædicamentum revocetur, per quas potentias aptum subjectum reddatur prædictorum accidentium. Verum dicendum omnino est substantiam per se ipsam absque additione alicujus entitatis realiter distinctæ posse esse causam materialem immediate in se recipientem aliquod accidens. Et ratio est in promptu, «quia si substantia recipit quantitatem v. g. mediante re aliqua distincta, quæ sit potentia ad recipiendam quantitatem, interrogo an res illa sit substantia vel accidens. Substantia esse non potest, tum quia alias non esset res ultra totam substantiam rei, tum etiam quia jam poneretur substantia per seipsam receptiva accidentis. Si est accidens: ergo est in aliquo subjecto proximo. Quæro ergo an illud sit potentia accidentaliter realiter distincta, vel ipsamet substantia. Si hoc posterius dicatur, habemus intentum. Si vero dicatur prius, de illo accidente iterum redibit quæstio; et ita in infinitum procedemus, nisi in ipsa substantia tandem sistamus. Et ita est re vera necessarium, nam licet substantia possit uniri alicui accidenti medio alio (4)... tamen comparando substantiam ad totam

(1) Num. 281, Altera vero difficilior est quæstio....

(2) Vide Suar., loc. cit., n. 5, 6; et disp. 16, sect. 1, n. 12.

(3) Apud Suar., disp. 14 *Metaph.*, sect. 2, n. 2.

(4) Supposita nempe veritate sententiæ illorum, qui docent unum accidens posse esse alterius subjectum: qua de re supra n. 281.

collectionem accidentium, non potest illi uniri media aliqua re, quæ non sit aut substantia aut accidens. Ergo necesse est, ut aliqua substantia et aliquod accidens immediate uniantur, id est, nulla mediante re distincta ab extremis distinctis (præter ipsum modum unionis). Ratio denique a priori ex eo sumi potest, quod accidens adjicitur substantiæ creatæ ad perficiendam illam et supplendum id, quod talis substantia per seipsam habere non potest. Ergo necesse est, ut in entitate talis substantiæ intime includatur capacitas ad recipiendam accidentia. Ergo hæc capacitas substantiæ, quæ est receptiva accidentium, ut sic, non potest esse res distincta ab ipsa substantia» (1).

Utrum autem subjectum accidentium omnium sit tota composita substantia in corporibus, an vero aliqua possint recipi in materia tamquam in materiali causa ipsorum, multum disputatur, et alibi etiam a nobis disputandum erit, Deo volente (2).

Ex iis jam patet, quisnam sit formalis effectus accidentis. Illud enim generatim intelligitur formæ alicujus effectus formalis, quod primo et immediate resultat ex unione hujusmodi formæ cum subjecto, et consequenter pendet ab illa in esse. Atqui compositum accidentale est illud, quod primo et immediate consurgit ex accidente informante subjectum, et illud solum est, quod intrinsece et suo modo essentialiter pendet a tali forma. Ergo accidentale compositum est proprius et unicus effectus talis formæ. «Deinde effectus hujus formæ non potest esse subjectum ipsum, cum sit substantia, quæ ex se prior est accidente. Ergo oportet, ut sit compositum, quia nihil est aliud, quod esse possit» (3). Verum jam ad efficientem causam accidentium veniendum est.

320. In primis duplex genus accidentium distinguere oportet, alia enim sunt propria et sine quibus substantia, saltem naturaliter, esse nequit, alia communia, quibus

Formalis
effectus acci-
dentis.

Causa efficiens
accidentium.

(1) Suar., disp. 14 *Metaph.*, sect. 2, n. 4, ubi videnda sunt quæ sequuntur.

(2) Legat interea curiosus Eximium Doctorem, loc. nup. cit., sect. 3.

(3) Suarez, disp. 16 *Metaphys.*, sect. 1, n. 10, ubi plura videri possunt tota illa sectione.

sive commu-
nium,

spoliari naturaliter potest substantia, ut v. g. calor etc. Et de hisce postremis communis videtur opinio tenere, quod insint in suis subjectis per actionem causarum propriarum, quæ per naturales suas virtutes operantur, variasque inducunt mutationes accidentales in substantiis, ut v. g. cum ignis calefacit aquam, vel sol illuminat montes. Circa proprietates vel passiones communis pariter vox auctorum hæc esse videtur, quod fiant per dimanationem seu emanationem naturalem vel per resultantiam. Sermo autem est de proprietatibus physicis seu re distinctis a natura, non vero de metaphysicis, quæ sola ratione distinguuntur a re, ut v. g. immortalitas pro anima, divisibilitas vel impenetrabilitas pro quantitate: hujusmodi enim proprietates, planum est, quod producantur eadem actione, qua subjectum ipsum earundem absque ulla reali emanatione, licet a nobis concipiuntur quasi ab alio dimanantes. Inter autem dimanationem vel resultantiam et alias actiones hoc interest, primo quod illa terminetur ad aliquid, quod non potest non adesse alio termino posito, ut v. g. producta anima, necessario producuntur ejusdem potentia, ac proinde dimanatio præ-

Quid dimanatio
vel resultantia

viam supponit actionem, quæ principale aliquid, ut ita dicam, efficiat, unde aliud consequenter pullulat, tamquam prioris consummatio necessario requisita, ut sit in connaturali statu; deinde quod dimanatio vel resultantia sequatur immediate a re unde aliquid dicitur dimanare, ut potentia v. g. ab animæ substantia, aliæ vero actiones fluunt ab agentibus (loquor de creatis causis) media virtute accidentali; ut v. g. calefactio est ab igne, medio calore, et intellectio ab anima, medio intellectu, cujusmodi accidentalem virtutem suppono ex alibi dicendis re distingui a substantia. Quamquam autem convenit apud auctores, quod proprietates vel accidentia necessario consequentia ex natura rei procedant per dimanationem vel resultantiam; valde tamen disputant, utrum dimanatio hujusmodi sit vera actio a natura tamquam a propria causa profluens per effectivam causalitatem distinctam ab actione vel causalitate, qua producitur ipsa natura rei, unde proprietates resultant; an vero non sit vera naturæ ipsius actio, sed tantum necessaria connexio cum rei natura, quæ immediate ac primario

Quæstio circa
demanationem
proprietatum
proponitur.

producitur per aliquam actionem. Si est veri nominis actio vel efficientia, dicendum erit in productione rei cujusvis cum suis proprietatibus duplicem intervenire actionem, alteram extrinseci agentis, quæ ad solam rei naturam terminatur, alteram naturæ ipsius, quæ immanenter proprietates sibi consentaneas efficit. Si vero dimanatio non est veri nominis actio, non datur nisi unicum agens extrinsecum et una actio, quæ immediate terminatur ad naturam et media natura porrigitur etiam ad ejusdem proprietates, utpote quæ ad connaturale illius pertinent complementum: quare dimanatio respectu naturæ non habebit veram actionis rationem, sed tantum dicenda erit quasi continuatio actionis, qua causa vel agens externum ipsam naturam efficit. Cæterum quia existentia proprietatum necessario connexa est cum existentia et actione productiva naturæ, et quia existentia et productio hujus est ratio, cur producantur, et sint proprietates, dimanatio solet attribui in utraque sententia ipsi naturæ tamquam principio (1), et natura dicitur etiam principium illarum activum (2).

Sunt ergo circa hanc controversiam duæ celebres sententia; altera est Suarezii (3), Rubii (4), Conimbricensium (5), Sylvestri Mauri (6), Lossadae (7); aliorumque multorum. Altera est communis Thomistarum (8), quam etiam non pauci Nostrarum, ut Fonseca (9), Toletus (10) et Soarez Lusitanus (11), amplectuntur. Mens S. Thomæ mihi non satis

(1) S. Thom., 1 p., quæst. 77, art. 5 ad 1.^{um} et 2.^{um}

(2) S. Thom., ib., art. 6 ad 2.^{um}; art. 7, corp. Cfr. Cajetanus et Bañez in suis Comment. in eundem locum S. Thomæ; Lossada et Rubius locis mox citandis.

(3) Disp. *Metaph.* 18, sect. 3; *de Anim.*, lib. 2, cap. 3.

(4) *De Anim.*, lib. 2, cap. 3, quæst. 6.

(5) *De Anim.*, lib. 2, cap. 3, quæst.

(6) *Quæst. philos.*, lib. 4, quæst. 30 ad 4.^{um}

(7) *Physic.*, tract. 2, disp. 6, cap. 4; *Animastic.*, disp. 4, cap. 5.

(8) Vide illos longo ordine citatos apud Complutenses, *Physicor.*, disp. 10, quæst. 7, n. 95, 96.

(9) *Metaph.*, lib. 5, cap. 2, quæst. 6, sect. 5.

(10) *De Anim.*, lib. 2, quæst. 9, conclus. 4.^a

(11) *De Anima*, tract. 1, disp. 2, sect. 1, n. 269; tract. 2, disp. 1, sect. 3, n. 80.

patet, quantumvis pro se illum omnino stare contendat Thomistæ. Ex altera enim parte quandoque absolute vocat substantiam *principium activum et productivum* proprietatum (1), immo et opponit productionem earum productioni accidentium non propriorum, quatenus hæc ab agente extrinseco producantur (2), itemque passim docet accidentia propria *causari ex principiis speciei*. Aliunde vero idem S. Doctor hanc generalem doctrinam restringit aliquando per particulam diminuentem, ut cum dicit substantiam esse potentiarum causam *quodammodo activam* (3); alias generatim tribuit proprietatum causalitatem agenti extrinseco, ut cum non raro scribit motus gravitatis non ab ipsis corporibus, quæ moventur, ab intrinseco procedere, sed causis, a quibus corpora producta sunt, adscribenda esse (4). Rem conantur componere Thomistæ hoc pacto: nam licet natura rei non dicatur esse vere ac proprie causa efficiens proprietatum, sed tantum agens extrinsecum; quia tamen natura est radix illarum, ac necessario illas exigit tamquam quoddam complementum suum, nec potest iisdem, saltem naturaliter, privari; ipsa quodammodo determinare dicenda est suam causam efficientem, ut eas etiam producat; quandoquidem nulla est causa naturalis, quæ possit rem aliquam producere sine suis proprietatibus, nec proprietates, nisi in natura et media natura, præcise ex hac naturali exigentia et connexionem naturæ cum proprietatibus, propter quam actio, quæ immediate ac primario terminatur ad essentiam, nequit non secundario et ex consequenti terminari ad proprietates. Et in hoc sensu, inquit, potuit recte S. Thomas absque ulla conditione naturam vocare principium activum proprietatum, quamvis nullam veri nominis efficientiam eidem respectu illarum concesserit, sicut vocant eam alii hujus secundæ sententiæ assertores.

Hæc mihi controversia satis obscura videtur et perplexa. Quare miror, quod P. Ludovicus de San rem tam clare

(1) Vide 1 p., quæst. 77, art. 5 ad 1.^{um} et 2.^{um}; art. 6 et 7.

(2) 1 p., quæst. 77, art. 6 ad 2.^{um}

(3) 1 p., quæst. 77, art. 6 ad 2.^{um}; Opusc. de Trinit. sup. Bœtium, quæst. art. 4 ad 5.^{um}

(4) Vide v. g. 1 p., quæst. 18, art. 1 ad 2.^{um}; de Potent., quæst. 3, art. 7.

Sententia auctorioris

perspexerit, ut primam ex recitatis sententiis *absurdam* dicere non dubitaverit, duabus rationibus innixus, quæ certe non multum urgent, nedum absurdam probent illam doctrinam. Ut ergo sententiam meam aperiã a certioribus ad incertiora procedens,

321. DICO 1.^o Resultantia vel dimanatio proprietatum non solum naturæ rei, sed causæ etiam ejusdem efficienti, tribuenda est in aliquo vero sensu.

Nam causa naturæ tribuit illi esse. Ergo quidquid ad connaturalem statum pertinet eidem tribuat, necesse est. Atqui proprietates ita ad connaturalem rei statum pertinent, ut illis privari saltem naturaliter nequeat: unde habentur quasi corollarium essentiae generationisque consummatio et complementum. Ergo efficientia proprietatum ipsi causæ efficienti rei tribuenda est. Hinc in ore omnium est axioma illud: *Qui dat formam, dat consequentia ad formam*. Si autem quæras, quo pacto resultantia vel dimanatio adscribenda sit causæ efficienti naturæ, respondebo adscribenda esse, ut mihi quidem videtur, saltem tamquam principali causæ. Et in hoc videtur convenire adsertores utriusque sententiæ relatæ (1).

Dimanatio proprietatum tribuenda est externo agenti,

saltem tamquam causæ principali.

322. DICO 2.^o Quamquam actio, quæ terminatur ad naturam, vulgo eadem dicatur, atque actio quæ terminatur ad proprietates, seu dimanatio vel resultantia, videtur tamen re ac physice non esse eadem, aut certe non est simplex et indivisibilis.

Prima pars patet ex communi loquendi ratione, cujus fundamentum est, quia quæ simul vel necessario connexa sunt, et ad unum completum efficiendum natura ipsa instituuntur, jure unum quodammodo dici solent. Atqui actio productiva rei ac dimanatio proprietatum necessario connectuntur, et ad unum completum ens in suo statu connaturali constituendum ordinantur. Ergo nihil mirum si productio utriusque termini vulgo tamquam una actio habeatur (2).

Resultantia licet vulgo dicatur eadem atque actio substantiæ productivæ;

(1) Cfr. Suarez, loc. cit., disp. 18, sect. 3, n. 12.

(2) Cfr. Lossada, loc. cit., n. 9.

re tamen differt.

Secunda pars probatur 1.^o Separatio est signum realis distinctionis. Atqui dari potest rei productio sine resultantia vel dimanatione proprietatum. Ergo resultantia non identificatur cum actione productiva essentiae, vel certe haec non est actio simplex et individualis, utpote quae potest terminari ad rei substantiam, quin terminetur ad proprietates.

Minor negatur a quibusdam (1). Verum videtur negari non posse. Nam sunt proprietates re distinctae, quae separatae a propriis substantiis manere possunt, ut nunc suppono, et concedunt Thomistae: talis est v. g. quantitas et qualitates panis et vini in Sma. Eucharistia. Ergo a fortiori substantia potest privari per miraculum suis proprietatibus, atque adeo produci absque illis (2). Minor enim est praestantia naturae atque adeo capacitas existendi sine alio in natura, quam in accidentibus.

Simili modo probari videtur ex potentiis materialibus animae rationalis. Nam communissime docetur a Scholasticis cum S. Thoma animam separatam retinere quidem suas potentias rationales formaliter, sensitivas vero et vegetativas non nisi in radice, quia cum haec sint actus organi corporei nequeunt formaliter esse extra corpus. At mox cum iterum anima rationalis corpus informabit, iterum quoque fluent ab eadem praedictae potentiae, ut sua quaeque organa actuent. Jam certum est posse Deum creare animam rationalem extra corpus; quo in casu anima illa careret potentiis sensitivis et vegetativis. Item saepe nascuntur homines ab ipsa nativitate privati aliqua potentia sensitiva, ex vicio videlicet organi, quod si per miraculum corrigeretur, illico flueret ab anima virtus sensitiva. Ergo in omnibus his casibus habemus actionem rei productivam, quae terminatur ad substantiam et non terminatur ad proprietates. Itaque vel actio terminata ad primam distincta est ab actione terminata ad alias, vel certe non est una simplex actio et indivisibilis.

(1) Cajetan. In 1.^{um} part., quaest. 54 art. 3; de *Ent. et Essent.* cap. 7; Capreol. et Paul. Sonein, apud Conimbric. loc. statim citando.

(2) Atque ita sentiunt Ferrariers. (in lib. 4.^{um} *Contr. Gent.* 65), Sotus (lib. *Pradicabil.*, de *Proprio*, quaest. 2, ad 5.^{um} argum., *His nihilominus non obstantibus*), et Conimbric. (lib. 1, de *Generat. et Corrupt.*, cap. 4, quaest. 6, art. 3 ad 6.^{um}), et alii.

Prob. 2.^o Actiones specificè distinctae nequeunt esse una actio. Atqui actio productiva substantiae saepe est creativa, v. g. productio animae rationalis, dimanatio autem non est creatio, sed spectat ad genus educationis, utpote quae fit dependenter a subjecto; creatio autem et educio sunt actiones distinctae. Ergo...

Prob. 3.^o Termini realiter distincti postulant actiones realiter distinctas, nam actio est modus ipsius termini formalis producti, ut nunc supponimus et inferius probabitur. Atqui substantia et proprietates ab illa dimanantes (loquimur de physicis) re distinguuntur. Ergo actiones quoque illorum productivae re distinguere necesse est (1).

Nec dicas substantiam et proprietates, quamvis re differant, esse tamen necessario atque intime connexas. Nam id probat dumtaxat, actiones quoque illorum productivas naturaliter connecti et concomitari, non vero unam eandemque actionem esse.

323. Dico 3.^o Videtur nihil ob stare, quominus natura ipsa rei concurrat saltem tamquam instrumentum suae ipsius causae ad productionem proprietatum ab illa dimanantium.

Prob. Sententia communis est omnium Scholasticorum cum S. Thoma, quod substantia rei sit radix et principium effectivum vel productivum proprietatum; quod substantia sit causa naturalis, activa et finalis proprietatum (2); quod denique proprietates causentur ex principiis essentiae (3). Atqui haec doctrina intelligi nequit, nisi assaratur ipsi essentiae vel naturae concursus aliquis effectivus et causalitas respectu proprietatum. Cum ergo causa principalis in efficientia proprietatum sit agens extrinsecum, ut vidimus, seu ipsius causa substantiae, reliquum est ut huic tribuendus sit saltem concursus effectivus instrumentalis.

Prob. Minor. Nisi admittatur huiusmodi concursus effectivus, non aliter explicari poterit, quomodo natura sit

(1) Cfr. plura apud Suarez, disp. 18 *Metaph.*, sect. 3.

(2) Vide S. Thom., 1 p., quaest. 77, art. 7; de *Verit.*, quaest. 14, art. 5 etc.

(3) Hoc pacto passim definit Angelicus accidentia propria.

Dimanatio videtur tribuenda ipsi naturae, saltem tamquam causae instrumentali.

principium effectivum proprietatum, nisi dicendo naturam illas exigere, causamque suam ad illarum productionem determinare, quemadmodum explicant Thomistæ, ut superius notavimus. Atqui hoc non satis rem explicat. Quia datur exigentia quædam, quæ se habet per modum puræ potentie passive alio indigentis, exigentia nempe pure illativa in eo consistens, quod uno posito, et aliud ponere necesse sit propter naturale quoddam debitum; qualem videtur etiam habuisse materia prima in prima rerum conditione, quin tamen materia dici possit principium effectivum formæ (1). Exigentia ergo, quæ productivum principium in vero sensu dici mereatur, concipienda est instar activæ alicujus potentie vel virtutis naturæ a causa efficiente impressæ, ut effundat suas proprietates.

Tota hæc doctrina videtur expresse tradi ab Auctore *Summæ totius Logicæ Aristotelis* (2), quamvis illum pro se adducant Complutenses. *Restat ergo*, inquit, *quod subjectum habeat ad suum proprium habitudinem causæ efficientis: quod sic potest patere. Nam propria qualitates agunt ut instrumenta formarum substantialium, agunt enim ad productionem formarum substantialium; sicut calor ignis agit in ligna ad generandum ignem: quod non posset facere, nisi esset instrumentum formæ substantialis hujus agentis. Hoc ergo est, quia recipiunt virtutem a formis substantialibus agendi hoc. Nec recipiunt tales qualitates a formis substantialibus aliquam virtutem differentem ab eis. Nihil ergo aliud recipiunt, nisi seipsas. Formæ ergo substantiales subjectorum sunt causa effectiva suorum propriorum. Ubi disertissime tribuitur formæ substantiali efficientia qualitatum, immo ex hoc ipso declarat, quomodo qualitates dici possint instrumenta formarum substantialium in productione suorum effectuum. Remque magis confirmat solutione difficultatis. Sic enim sibi objicit: *Verum circa hoc videtur magnum dubium: nam sequitur quod idem subjectum sit secundum idem agens et patiens, et quod idem sit causa agendi et patiendi respectu ejusdem, ad minus in substantiis**

(1) Cfr. Suarez, loc. cit., n. 4; Lossada, *Physic.*, tract. 2, disp. 6, cap. 4, n. 3.

(2) Tract. 1, cap. 6.

separatis, quæ non habent partem extra partem. Unde eadem substantia Angeli secundum idem, quia indivisibilis est, esset causa effectiva propria passionis et receptiva: quod videtur inconveniens. Ad quod intelligendum sciendum est, quod sicut se habet res in patiendo, sic suo modo se habet in agendo. In patiendo autem non solum dicitur passive se habere illud, quod recipit aliud, sed etiam illud, quod illud disponit ad hoc recipiendum. Verbi gratia: cera quæ recipit figuram, dicitur passive se habere ad figuram: et non solum ipsa cera passive se habet respectu figuræ, sed etiam mollietas disponens ceram ad talem receptionem passive se habet respectu figuræ. Licet enim mollietas non sit, in quo recipiatur figura sicut in eo, quod est ratio recipiendi; est tamen aliquo modo dispositio ratio suscipiendi. Sic enim suo modo principium originans aliquid quodam ordine et quadam necessaria connexion, mediante aliquo alio aliquid producit: etiam illud, quod producit respectu illius quod, producit se habet active. Sicut clavus infixus trabi, si semper motus daretur trabi mediante clavo, quamvis totus motus effective esset ab homine movente utrumque, scilicet trabem et clavum; tamen clavus ad molum se haberet active respectu trabis. Sic suo modo se habet de subjecto respectu suæ propriæ passionis: nam subjectum est sicut clavus, passio sicut trabs, generans sicut movens utrumque, et dans esse utrique: scilicet subjecto et passioni, sicut motus in clavo et trabe causatur a movente. Et sic salvatur utraque opinio, et omne dubium removetur (1). Ubi habes egregie declaratum, quomodo a natura efficiantur proprietates ab illa dimanantes, nempe ab agente tanquam a principali causa, sed media ipsa-natura ita, ut hæc in productionem illarum vere concurrat: sicut motus ab externo motore impressus trabi medio clavo, vere communicatur a clavo, quia licet primum gignitur in clavo, hic tamen impulsu et impetu extrinseco accepto novum motum gignit in trabe. Nequit enim aliter explicari communicatio motus, ut suo loco probabitur, Deo volente.

Ex quo jam etiam explicari possunt sententiæ illæ S. Thomæ superius relatæ in favorem thomisticæ opinionis.

(1) *Summ. totius Logicæ Aristot.*, tract. 1, cap. 6, post med. Cfr. ib. tract. 6, cap. 5.

Si enim natura non agit principaliter, sed nomine ut ita dicam externi agentis, ac velut instrumentum ejusdem, recte potuit S. Thomas particulam diminuendam *quodammodo* usurpare, cum scripsit subjectum esse *causam quodammodo activam* accidentium (1). Quod vero attinet ad motus gravium, quos S. Thomas attribuit agenti externo, quod corpora ipsa gravia produxit, respondendum est, S. Doctorem alias in ipsa natura corporum reposuisse principium activum illorum motuum (2), ac proinde mentem Angelici relate ad hujusmodi motus hanc esse, ut illi tamquam a causa proxima et instrumentali manent a propriis naturis, et tamquam a causa principali et remotiori ab ipsis causis externis talium naturarum. Ita rem explicant inter Thomistas Capreolus (3) et Bergomensis (4), itemque Suarez (5), Conimbricenses (6), Rubius (7). Quare cum nullus adducatur locus, in quo S. Thomas clare eripiat naturæ activam causalitatem, saltem instrumentalem, respectu proprietatum, adducantur autem alii, in quibus videatur satis manifeste illam asserere, dici non debet nobis adversari, sed potius favere.

324. Dices 1.^o Admissa doctrina hactenus exposita: «(α) jam necessario dicendum est omnibus corporibus competere immanentem efficientiam, et β) tollitur omnis ratio contendendi potentias activas realiter distingui ab essentia» (8). Probarique res potest ex eo quod, si proprietates a substantia producerentur, jam substantia per seipsam immediate operativa foret. Si autem per seipsam immediate operativa est, frustra ponuntur potentiae activae a substantia realiter distinctae.

(1) 1 p., quaest. 77, art. 6 ad 2.^{am}

(2) Vide v. g. 1 p., quaest. 105, art. 5; lib. 3.^{um} *Contr. Gent.*, cap. 23; 3.^o dist. 22, quaest. 3, art. 2, solut. 1.

(3) 2.^o dist. 6, quaest. 1, art. 3.

(4) *In concordantiis ad calcem Indicis Opp. S. Thom.*, dub. 690 et 691, ubi hoc pacto loca S. Doctoris apparenter contradictoria conciliantur.

(5) *Disp. Metaph.* quaest. 18, sect. 7, n. 23 seqq.

(6) *Physicor.*, lib. 8, cap. 4, quaest. unic., art. 3.

(7) *Physicor.*, lib. 8, cap. 4, quaest. 2.

(8) Ita P. De San, *Op. et loc. cit.*, n. 194.

Resp. ad α) dist. assert.; in ordine ad assecutionem status connaturalis, *conc.*; obtento jam statu connaturali, *neg.*

Difficultas hæc eo tendit, quamvis id non discrete exprimat, ut probet in nostra sententia corpora omnia fore viventia, quandoquidem haberent immanentem efficientiam. Verum, ut suo loco dicendum est, vitalis operatio non consistit in qualicumque operatione immanenti, sed in operatione immanenti, quæ non exercentur ad assequendum statum connaturalem, verum supposito connaturali statu, ad ulteriorem perfectionem subjecti obtinendam dirigitur. Ideo motus, quibus corpora elastica connaturalem dispositionem recuperare nituntur, quantumvis immanentes, vitales tamen non sunt. Ita etiam motus quo gravia amoto impedimento, versus centrum urgentur, ex sententia S. Thomæ immanens dicendus erat simili prorsus modo, quo immanens est in nostra opinione dimanatio vel resultantia proprietatum, quia quamvis S. Doctor secundum communem doctrinam illorum temporum, sæpe motum illum adscribendum esse dixerit per se quidem externæ causæ corporum ipsorum gravium, quæ talem illis indiderit inclinationem, per accidens vero causæ impedimentum removenti, nihilominus sæpe alias agnovit, ut nuper vidimus, intrinsecum principium motus hujusmodi in ipsis corporibus. Et nihilominus, quia motus hujusmodi dirigebatur ad assecutionem proprii et connaturalis loci, qui pro gravibus existimabatur esse terra, vitalis non dicebatur. Probetur ergo omnem cujuscumque generis immanentiam constituere vitalem operationem, ac tum demum vim obtinebit objecto; nunc enim nihil revera evincit, quantumvis eam *efficacem* esse contra nostram sententiam asseratur (1).

Ad β) nego simpliciter assertum. Quia quamvis ponatur substantia immediate operativa respectu suam proprietatum, adhuc possunt esse, ac revera sunt, rationes speciales ad asserendas potentias activas realiter distinctas. Audi P. Sylvestrum Mauri: «Non valet argumentum: *Potest aliquid per se efficere instrumentum. Ergo potest per se ipsum efficere opus talis instrumenti.* Nam artifex potest per seipsum efficere

(1) *Loc. cit.*, n. 196 *Respondetur.*

serram, quæ est instrumentum secandi, at non potest per seipsum sine serra efficere operationem secandi: similiter plura viventia possunt per seipsa producere semen, quod est instrumentum generandi simile, at non possunt generare simile sine semine. Sic in casu nostro licet anima (idem dic de quavis alia natura respectu suarum proprietatum) possit producere in se intellectum et voluntatem, adhuc non sequitur, quod possit sine intellectu et voluntate distinctis producere actus intelligendi et volendi (1). Aliud ergo est, quod substantiæ competat activitas aliqua immanens, saltem instrumentalis, ut suum connaturalem statum ac perfectionem necessariam secundum gradum suæ speciei assequatur, et aliud quod ultra connaturalem huiusmodi statum possit immediate per seipsam operari. Cæterum utrum et quomodo competere possit substantiæ immediata aliqua activitas respectu operationum, quas postea elicit, inferius videndum erit.

Dices 2.^o S. Thomas negat emanationem priorum accidentium a subjecto esse per aliquam transmutationem. Ergo negat vere effici a subjecto.

Resp. nego consequens. Nam naturaliter loquendo proprietates coævæ sunt ipsi substantiæ, quæ proinde in nullo reali instanti est illis privata, ideoque non mutatur cum eæ resultant: et propterea resultantia, quamvis sit vera actio a substantia profluens, non est tamen transmutatio. Simili modo dici solet, quamvis generatio substantialis post primam rerum productionem sit mutatio, quia in tantum aliquid de novo generatur, in quantum materia ab una forma in aliam transmutatur; nihilominus prima corporum generatio non fuit veri nominis mutatio, quia cum materia simul cum forma producta esset, non potuit proprie ac realiter mutari, siquidem antea non erat.

Dices 3.^o Omne quod movetur, ab alio movetur, et nihil potest esse agens et patiens secundum idem. Atqui supposita nostra doctrina, natura seipsam moveret ad efficiendas proprietates, itemque secundum illas active se haberet et passive. Ergo...

(1) Sylvest. Mauri, *Quæstion. philos.*, lib. 4, quæst. 30, Ad quartam.

Resp. ad 1.^o neg. Minor. Quia natura efficienter mota est a sua causa, ut suas effundat proprietates: sicut ignis eo ipso quod accipit talem naturam, motus jam est a sua causa ad comburendum, ubicumque adsint requisita.

Ad 2.^o dist.; adæquate, trans.; saltem inadæquate, neg.; nam in vitalibus operationibus, saltem intellectualibus, eadem simplicissima potentia intellectiva et volitiva est agens et recipiens, quin possint distingui pars movens et pars mota. Dixi saltem inadæquate, quia agens revera non est sola potentia, sed potentia cum Deo, qui tamen nullo modo est patiens.

325. COROLLARIUM. Quæ cum ita sint, intelligitur quomodo subjectum tripliciter comparatur ad accidens: Uno modo sicut præbens ei sustentamentum, nam accidens per se non subsistit, fulcitur vero per subjectum. Alio modo sicut potentia ad actum, nam subjectum accidenti subicitur, sicut potentia actui, unde et accidens forma dicitur. Tertio modo, sicut causa ad effectum, nam principia subjecti sunt principia per se accidentis (1).

Triplex comparatio subjecti ad accidens proprium.

DISPUTATIO SEXTA.

DE VARIIS PRÆDICAMENTIS ACCIDENTALIBUS SINGILLATIM.

Relicta ad *Cosmologiam* quantitate, quæ fusiorem postulat disputationem, de cæteris prædicamentis accidentalibus singillatim agendum est; ac primo quidem de Qualitate.

CAPUT I.

DE QUALITATE.

Licet Aristoteles prius disseruit in *Logica* de Relatione quam de Qualitate (2), fortasse quia prædicamentum ad aliud quodammodo generalius est, nam omnibus aliis entibus

(1) S. Thom., de *Virtut.*, quæst. 1, art. 3.

(2) *Libr. de Prædicamentis*, cap. 7.